TENTAMEN CONCORDIÆ INTER UTRUMQUE EVANGELISTAM MATHÆUM ET LUCAM CIRCA GENEALOGIAM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI.

ARGUMENTUM.

DUplicem in JESU CHRISTO admittendam esse generationem, fide divinâ certum est; unam nempe æternam, quâ à Patre procedit sine matre, temporalem alteram, quâ è sinu matris progreditur in tempore sine patre. Æternam adversus *Cerinthum*, & *Ebionitas* adornat S. *Joannes* C. I. Tempora-

lem exhibent S. *Mathæus* C. I., & S. *Lucas* C. III. à ℣. 23, ſed uterque, ùt videtur, aliam, atque ex vario capite diverſam. Diverſitas hæc olim jam *Porphyrio*, & *Manichæis*, teſte S. *Auguſtino* L. 24. *cont. Fauſt.* C. 1, 2, 3, *Juliano Apoſtatæ* apud *Cyrillum Alexandrinum* L. 8. *cont. eundem Julianum*, *Celſo* apud *Origenem* L. 2. *cont. Celſum*, arma ſubminiſtravit, quêis dictos Evangeliſtas impeterent, imò & hodie Judæis adhuc calumniandi ſtimulos ſuppeditat. Ut autem diverſitas illa uno veluti intuitu cuivis pateat, operæ pretium erit, utramque Genealogiam ſubnectere.